Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

incredibili

fidentes quod ferocitatis est neque timentes valde. Sed bene se habentes adutrumque. ¶ Nec incredibile omnibus sunt: sed secundum solummodo veritatem iudicant: nec parci nec prodigi: sed accomodati rebus sunt. Et similiter se ad iram quoque atque cupiditate habent. Sunt que modesti cum fortitudine: et fortes cum modestia. Nam hec in iuvenibus atque senibus disiuncta sunt. Iuvenes enim fortes ac immodesti sunt. senes vero modesti ac timidi ¶ Verum ut universaliter dicam quecumque iuventus atque senectus seorsum expetibilia habent: hec et viri habent ¶ In quibuscumque vero illi excedunt aut deficiunt: hec in viris commode ac mediocriter sunt ¶ Viget autem corpus quidem a trigesimo etatis anno ad trigesimum quintum: anima vero usque ad unum de quinquaginta ¶ De iuventute igitur: senectute: ac virili etate quorum morum unaquaque sit: hec dicta sunt

De moribus nobilium Capitulum 15

De moribus autem qui fortune bonis quales quidem efficiantur: deinceps dicamus ¶ Nobilitatis igitur mores sunt: ut ambiciosior sit ¶ Cui nobilior est. Nam omnes cum quid adsit: ad id solent coacervare ¶ Nobilitas vero quedam maiorum claritas est ¶ Preterea nobiles ad contempnendos maiorum suorum similes parati sunt ¶ Nam ea que iam diu gesta sunt: honorabiliora sunt: ad iactationem que aptiora: quam que nuper facta ¶ Est autem nobile secundum virtutem generis ¶ Generosum vero secundum quod non recedit e natura ¶ quod non contingit ut plurimum nobilibus. Sed multi humiles atque deiecti sunt ¶ Est enim eciam in virorum generibus fertilitas quedam: sicut in agris aliquando ac interdum si genus bonum fuerit: viri prestantes generantur rursus quam genus deficitur ¶ degeneriunt autem ingeniosa quidem genera in mores furiosos magis. ut qui ab altibiade quique a superiore dionisio sunt. quieta vero in segnitiem: veluti qui a cimone peride ac socrate sunt

Capitulum sextumdecimum De moribus divitum etc.